

est, cur credere dubitant eadem virtute divina per totum mundum id fieri potuisse, qua hoc factum est? Si autem ut Jerosolymis sic ad cultum nominis Christi accenderetur tanta hominum multitudo, quæ illum in cruce, vel fixerat presum, vel riserat fixum, jam maleficia illud fecerat Petrus, ex ipso anno quærendum est, quando trecenti-sexaginta-quinque completi sint. Mortuus est ergo Christus duobus Geminis consulibus, octavo Kalendas Aprilis (29). Resurrexit tertia die, sicut Apostoli suis etiam sensibus probaverunt. Deinde post quadraginta dies ascendit in cœlum: post decem dies, id est, quinquagesimo post suam resurrectionem die misit Spiritum sanctum. Tunc tria millia hominum Apostolis eum prædicantibus crediderunt. Tunc itaque nominis illius cultus exorsus est, sicut nos credimus, et veritas habet, efficacia Spiritus sancti; sicut autem finxit vanitas impia vel putavit, magicis artibus Petri. Paulo post etiam signo mirabili facto, quando ad verbum ipsius Petri quidam mendicus ab utero matris ita claudus, ut ab aliis portaretur, et ad portam templi, ubi stipem peteret, poneretur, in nomine Jesu Christi salvus exilivit, quinque millia hominum crediderunt: ac deinde aliis atque aliis accessibus credentium crevit Ecclesia. Ac per hoc colligitur etiam dies, ex quo annus ipse sumpsit initium, scilicet quando missus est Spiritus sanctus, id est, per Idus Maias. Numeratis proinde consulibus, trecenti-sexaginta-quinque anni reperiuntur impleti per easdem Idus consulatu Honorii et Eutyichiani. Porro sequenti anno, consule Manlio Theodoro, quando jam secundum illud oraculum dæmonum aut figmentum hominum nulla esse debuit religio christiana, quid per alias terrarum partes forsitan factum sit, non fuit necesse perquirere. Interim quod scimus, in civitate notissima et

¹ Act. xxv.

eminentissima Carthagine Africæ Gaudentius et Jovius comites imperatoris Honorii, quarto-decimo Kalendas Aprilis falsorum deorum templa everterunt, et simulacra fregerunt. Ex quo usque ad hoc tempus per triginta ferme annos quis non videat quantum creverit cultus nominis Christi, præsertim posteaquam multi eorum Christiani facti sunt, qui tanquam vera illa divinatione revocabantur a fide, eamque, completo eodem annorum numero, inanem ridendamque viderunt? Nos ergo, qui sumus vocamurque Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credit Petrus: Petri de Christo ædificati sermonibus, non carminibus venenati; nec decepti maleficiis, sed beneficiis ejus adjuti. Ille Petri magister Christus in doctrina, quæ ad vitam ducit æternam, ipse est et magister noster.

II. Sed aliquando jam concludamus hunc librum, huc usque disserentes, et quantum satis visum est demonstrantes, quisnam sit duarum Civitatum, cœlestis atque terrenæ, ab initio usque in finem permixtarum mortalis excursus. Quarum illa, quæ terrena est, fecit sibi quos voluit, vel undecumque, vel etiam ex hominibus falsos deos, quibus sacrificando serviret: illa autem, quæ cœlestis peregrinatur in terra, falsos deos non facit, sed a vero Deo ipsa fit, cujus verum sacrificium ipsa sit. Ambæ tamen temporibus, vel bonis pariter utuntur, vel malis pariter affliguntur, diversa fide, diversa spe, diverso amore, donec ultimo iudicio separentur, et percipiat unaquæque suum finem, cujus nullus est finis: de quibus ambarum finibus deinceps disserendum est.

27 sequitur grecam lectionem, et exponit: unde, et in 28. Editi Am. Et. et Lov. habent, semetipsos non intelligunt. At Vind. et manuscripti consentiunt. — voce semetipsos carent.

DE CIVITATE DEI, LIBER XVII.

omnibusque Carthagine gaudentes et Iovius
 comites imperatoris Honorii, quarto-decimo kalendas
 Aprilis Eusebium deorum templis everterunt, et simulacra
 frangerunt. Ex quo tempore ad hoc tempus per triginta et octo
 annos plus non videtur quantum everit cultus nominis
 Christi, presertim postquam multi eorum Christiani
 facti sunt, qui tempore et in illa divinatione revocantur
 a fidei, eandem, completo eodem annorum numero, tamen
 tribudantur videntur. Nos ergo, qui sensus vocamusque
 Christiani, non in Petrum credimus, sed in quem credi-
 dit Petrus: Petrus de Christo edificavit sermonibus, non
 carminibus vengerit; nec decepti maleficia, sed benefi-
 cia eius adiut. Ille Petrus magister Christiani in doctrina,
 que ad vitam ducit eternam, ipse est et magister noster.
 II. Sed aliquid iam concludamus hinc scriptum, hinc
 usque disserentes, et quantum satis verum est demonstran-
 tes, quantum ad doctrinam Christianam, ecclesiam adque terrenam,
 ab initio usque in hanc pernicitatem mortalis excursus.
 Quartum illa, que tertia est, fecit sibi duo voluit, vel
 undecimum, vel etiam ex hominibus laicos deos, quibus
 sacrificando servaret: illa autem, que ecclesiam peragravit
 in terra, laicos deos non fecit, sed a vero Deo ipsa fit,
 cuius verum sacrificium ipse sit. Aliter tamen tempora-
 ribus, vel bonis partiter duntaxat, vel malis partiter adhi-
 erunt, diversa illic, diversa spe, diverso amore, donec
 ultimo iudicio separentur, et percipiat unaparsque suam
 finem, cuius nullus est finis: de quibus antea in hunc
 finem disserendum est.

ANNOTATIONES.

Vind. Am. Er. et Lov. habent, *semetipsos non intelligunt*. At Vind. et
 manuscripti consentientes græco, voce *semetipsos* ca-
 rent.

Hoc putasse ipse Augustinus videtur lib. xiii. Confess.
 c. 15. Sed hanc sententiam improbavit in lib. ii. Retract.
 c. 6. Eadem opinio fuit Origenis, reprehensa ab Epipha-
 nio in Epistola ad Joannem Jerosolymitanum et ab Hiero-
 nymo ad Pammachium adversus errores Joannis Jeroso-
 lymitani.

Aliter Vulgata; sed Augustinus hic et in Psal. xxxiv,
 et contra Faust. lib. xxii, c. 27. sequitur græcam lec-
 tionem, καὶ συγκρίνοντες εαυτούς ἑαυτοῖς οὐ σλινοῦσιν. Editi Am. Er. et
 Lov. habent, *semetipsos non intelligunt*. At Vind. et
 manuscripti consentientes græco, voce *semetipsos* ca-
 rent.

ANNOTATIO (3) pag. 98.

Vind. Am. Er. *sive elata sit anima, sive lapsa sit. Lov. sive data sit anima, sive a se sit.* Melius manuscripti, *sive data sit anima, sive lapsa sit.* Propter duas nimirum opiniones, aliorum quidem docentium animas corporibus a Deo datas et missas, aliorum autem existimantium eas suapte culpa delapsas esse de cœlis in corpora ad luendas poenas.

ANNOTATIO (4) pag. 131.

Libello scilicet qui de Universitate inscribitur, et pars est Timæi Platonis.

ANNOTATIO (5) pag. 132.

Palliatorum nomine Philosophos intelligit. Hinc apud Agellium lib. ix, c. 2. de quodam qui corporis cultu amictuque philosophum mentiebatur: *Video barbam et pallium, Philosophum nondum video.*

ANNOTATIO (6) pag. 149.

Ita visum est Origeni lib. i. *περὶ ἀρχῶν* c. 3. Tertulliano lib. de Baptismo c. 5. Cypriano Epist. ad Jubaianum; Cyrillo lib. ix. in Joan. c. 47. Basilio in Psal. XLVIII. Ambrosio lib. de Paradiso, Philastrio et aliis.

ANNOTATIO (7) pag. 202.

Manichæi scilicet qui Veteris Testamenti Scripturas rejiciebant.

ANNOTATIO (8) pag. 208.

Calama, de qua hic loquitur, non Phœnicia oppidum est, ut credit Ludovicus Vives, sed Africae, inter Hipponem et Cirtam situm, de quo frequentissime Augustinus.

ANNOTATIO (9) pag. 253.

Legem a Theodosio latam ne inter consobrinos et parentes inirentur matrimonia, laudat Aurelius Victor in Theodos. et Ambrosius lib. viii, epist. 66. eamque legem fortassis indicat hic postea Augustinus verbis illis: *Verum quis dubitet honestius hoc tempore etiam consobrinorum prohibita esse conjugia?* Lex porro ista Theodosii hactenus desideratur: superest autem in eandem rem lex alia, quæ Constantio tribuitur, sancita Romæ Arbetione et Lolliano consulibus, in cod. Theod. lib. ii. de incest. nupt. Dispensatum olim a Cæsaribus, ut legitima esset uxor consobrina, docet Cassiodorus senator lib. vii, Variar. c. 46.

ANNOTATIO (10) pag. 262.

Eusebius, Hieronymus, Beda, aliique secundum Septuaginta interpretum codices computant duo millia ducentos-quadragesima et duos annos.

ANNOTATIO (11) pag. 275.

Lxx. interpretes in vulgatis habent ἑπὶ ἐνεθυμύθη, *quia cogitavi.* In aliis vero codicibus, quos Origenes, Philo

atque hic Augustinus sequitur, legebatur ἐθυμώθητι, *iratus sum.*

ANNOTATIO (12) pag. 300.

Duo fuerunt Hippones in Africa, Hippo-Regius cognomine *Bona*, et Hippo-Diarrhytos, quæ a nonnullis *Biserta* nunc dici creditur. Non hujus, ut Ludovicus Vives putavit, sed alterius Hipponis-Regii scilicet episcopus fuit Augustinus.

ANNOTATIO (13) pag. 301.

De Antipodum existentia pugnam inter litteratos et vulgus ingentem fuisse scribit Plinius lib. II, c. 65. ubi, *ineptum dicit credere esse homines quorum vestigia sint superiora quam capita, aut ibi quæ apud nos jacent, inversa pendere; fruges et arbores deorsum versus crescere, etc.* atque *hujus erroris originem Philosophis fuisse, quod existimarent rotundum esse mundum.* Antipodas etiam Augustinus negandos putabat, non tamen propter allatas a Lactantio rationes; sed ne admittere cogeretur homines non ortos ex Adamo, quod Scripturæ repugnat. Hinc Zacharias Papa in Epist. ad Bonifacium data anno 748, *perversam et iniquam appellat doctrinam Virgilii cujusdam asserentis quod alius mundus et alii homines sub terra sint.*

ANNOTATIO (14) pag. 314.

Solutio hæc ab Hieronymo profertur, ducta ex traditione Hebræorum, qui Abraham in ignem, quem adorare nollet, conjectum a Chaldæis, indeque divinitus liberatum narrant.

ANNOTATIO (15) pag. 347.

Secundas nuptias Cataphryges nihil a fornicatione differre censebant, ut scribit Augustinus in lib. de hæresibus ad *Quodvultdeum*, c. 26.

ANNOTATIO (16) pag. 431.

Jam dixit supra lib. XVI. c. 17. natum Abrahamum, anno regnantis Nini quadragesimo-tertio, secutus Chronicon Eusebii, quo alii improbato, ortum Abraham, ad Semiramidis annum vigesimum-tertium referunt.

ANNOTATIO (17) pag. 433.

Babylonem a Semiramide extractam asserunt Diodorus, Justinus, etc. Josephus vero, Eusebius, Marcellinus; alii que instauratam solummodo ab ea dicunt, et amplissimo mœnium ambitu cinctam, qui inter miracula mundi numeratur, stadiaque quadringenta et octoginta fertur collegisse.

ANNOTATIO (18) pag. 438.

Vind. Am. et Er. *Hermasco*. Nonnulli manuscripti, *Amytho*. Alii cum Lov. *Mamito*: juxta Eusebium, qui tamen hunc non duodecimum, sed undecimum Assyriorum regem ponit: deinde duodecimum Manchaëlum, tertium-decimum Iphercum, quartum-decimum Mamytam, cujus loco Saphrum capite sequenti refert Augustinus.

ANNOTATIO (19) pag. 439.

Sic Eusebius in Chronico, ex aliorum et ipse opinione loquens: *Secundum quorundam*, ait, *opinionem his temporibus fuit Prometheus, a quo homines factos esse commemorant: et revera; cum enim sapiens esset, feritatem eorum et nimiam imperitiam ad humanitatem et scientiam transfigurabat.*

ANNOTATIO (20) pag. 439.

Non defuisse tamen inter gentiles historicos, qui maximi istius et universalis diluvii atque arcae Noë meminerint, Berosum Babylonium scilicet et Mnaseum Damascenum et Hieronymum Ægyptium, scribit Josephus lib. i. Antiq. c. 4. et ex ipso Eusebius lib. ix. de Præparat. Evang. c. 4. Sed gentilium illorum scripta ad barbaricas historias pertinent, non ad græcas aut latinas, de quibus Augustinus loquitur.

ANNOTATIO (21) pag. 445.

Sacra via, quæ a Varrone de Ling. lat. utcumque describitur, sic dicta est, quod ibi foedus inter Romulum et Titum Tatium regem Sabinorum ictum fuerit. Acclivis erat hæc via, ideo Lupercorum sacerdotum, sive eorum qui deo Pani sacra faciebant, ascensus per eam dicitur et descensus.

ANNOTATIO (22) pag. 476. lin. 21.

Hieronymus comment. in Abdiam, *Hunc*, inquit, *esse aiunt Hebræi, qui sub rege Samariæ Achab et*

impiissima Jezabel pavit centum Prophetas in specubus, qui non curvaverant genu ante Baal, etc. Fuit ergo ætate Josaphat regis Juda, rege Latinorum Tiberio. *Naiim* autem prophetam Josephus lib. ix scribit fuisse temporibus Johatan regis Juda. Denique de propheta Abacuc dicitur Danielis xiv, quod prandium suum ex Juda Babylonem tulerit ad Danielem: et eum tempore captivitatis babylonicæ vaticinatum esse notat Hieronymus, atque in Babylonem dirigi ejus vaticinia.

ANNOTATIO (23) pag. 491.

Pythagoras floruit Olympiade, juxta Diogenem Laërtium, sexagesima. Ipsum Eusebius in Chronico ad Olympiadem 63. refert, et lib. x. de Præparat. Evangel. cap. 3, scribit claruisse Olympiade 62. pontifice apud Hebræos Jesu filio Josedeck, et principe Zorobabel, quo tempore prophetabant Aggæus, Zacharias et Malachias; regnabat autem apud Romanos Servius Sulpitius. Jamblicus circa Olympiadem 62. venisse in Italiam scribit: id Cicero r. Tuscul. dicit, imperante Tarquinio superbo, contigisse, idemque 4. Tuscul. prodit fuisse eum in Italia iisdem temporibus, quibus J. Brutus patriam liberavit. Pythagoras mortem obiit Olympiade 70. anno ejus, juxta Eusebii Chronicon, quarto vel quinto, id est, ante Christum circiter 498. cum vixisset annos octoginta vel nonaginta, ut auctor est Laërtius.

ANNOTATIO (24) pag. 492.

Socratem Diogenes Laërtius natum scribit anno quarto Olympiadis 77. qui in annum 468. ante Christum incurrit; mortuum vero esse anno primo Olympiadis 95. ætatis anno septuagesimo.

ANNOTATIO (25) pag. 492.

Plato, uti Laërtius ex Apollodoro scribit, natus est Olympiade 88. ejusque anno primo. Mortuus est anno primo Olympiadis 108. qui est annus ante Christum 348. suae ipse ætatis annum agens octogesimum-primum.

ANNOTATIO (26) pag. 502.

Aquila, homo semi-Judæus et semi-Christianus, interpretationem suam edidit sub Hadriano, circa annum Christi 130. post lxx editionem, elapsis annis plus 400. Symmachus proselytus suam sub Aurelio vel sub Severo scripsit, circa annum Christi 200. Theodotion, primo Marcionita et postea Judæus, suam ante Symmachum confecit, non longe a tempore Commodi, circiter annum Christi 180. Hunc post Symmachum Augustinus Epiphanius aliosque secutus memorat, ob id forsitan quod in Hexaplis ab Origene posita esset juxta Aquilæ editionem prior Symmachi, et posterior Theodotionis editio. Porro præter quintam editionem inventam Hierichunte, cujus hic meminit Augustinus, celebratur et sexta editio inventa Nicopoli, utraque Hexaplis iisdem Origenianis, ut ferunt, quinto et sexto loco inserta. Sed sexta illa Augustino ignota fuisse videtur.

ANNOTATIO (27) pag. 523.

Athanasii regis Gothorum notat persecutionem, de qua Hieronymus in Chronico, et Orosius lib. vii, c. 32.


ANNOTATIO (28) pag. 523.

Hæc persecutio commota est circa annum Christi 420. sub Isdigerde rege Persarum, ut scribit Theodoretus lib. v, c. 38. vel potius sub Vararane ejus filio, ut Socrates lib. vii, c. 18. et Nicephorus lib. xiv, c. 19. De eadem persecutione Cassiodorus lib. x, Hist. trip. c. 30.

ANNOTATIO (29) pag. 528.

Tertullianus lib. contra Judæos, c. 8. *Tiberius*, inquit, *Cæsar imperium habuit annis 22. mensibus 7. diebus 20. hujus quinto-decimo anno imperii passus est Christus, annos habens quasi triginta, cum pateretur.* Et paulo post: *Passio hujus exterminii intra tempora septuaginta hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare, Coss. Rubellio Geminò et Fusio Geminò, mense Martio, temporibus Paschæ, die octavo Kalendarum Aprilium.* Hunc secutus Lactantius lib. iv, c. 10, eundem Tiberii imperantis annum, eosdemque consules assignat, nec in die variat nisi librariorum forsitan vitio, quo factum est ut codices alii *ante diem decimum*, alii *ante diem septimum* habeant, alii vero melius, *ante Diem viii. Kal. April.* quod idem est atque *Octavo ante diem Kal. April.* quemadmodum Tullianis exemplis plurimis ostendi potest. Christum passum viii Kal. April. asserit rursus Augustinus lib. xiii, q. 56. et lib. iv, de Trinit. c. 5. cumque eo Chrysostomus in Serm. de Nativ. S. Joann. Bapt. Gregorius Turon. lib. x, c. ultimo. Beda lib. de Ratione temp. c. 47. etc. Eusebius autem in Chronico et Epiphanius Hæres. 51 passionem Domini ad annum Tiberii octavum decimum referunt. Huic opinioni

favet Evangelium : nam Luc. III, baptisma datum Christo a Joanne et exordium prædicationis ejus in quintum-decimum Tiberii annum refertur et liquet tres ab inde annos solidos Christum antequam pateretur, prædicasse regnum Dei. Sed Tiberii annos haudquaquam more romano computatos ab Eusebio et Epiphanio fuisse, contendit Dionysius Petavius de Doctrina Temp. lib. XII, c. 12. *Etenim a populari, inquit, civitatum suarum exordio Patres illi annos inchoabant, nimirum ab autumno antecedente ætatem illam, qua Augustus excessit, adeoque annum Tiberii decimum-octavum putare incipiunt ab autumno anni Juliani 75.* Ipse itaque Petavius in Rationario Temp. Parte I. lib. V, scribit mortuum Christum, Tiberio quintum et Sejano coss. Martii vigesima-tertia. At Baronius, Ludovicus Vives, Leonardus Coquæus etc. coss. Cn. Domitio Ænobarde et Camillo Scriboniano. Alia denique est non minus probata viris eruditis opinio, passionem Christi ad annum referens Tiberii decimum-nonum, currentem cum Juliano 78. cumque eo cui Phlegon apud Eusebium defectionem solis assignat, Olympiadis 202 anno 4 coss. Severo Sulpitio Galba et Lucio Cornelio Sulla, et ad diem Aprilis tertium.



CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICÆ.

BIBLIOTHECA LATINA.		BIBLIOTHECA GALLICA.	
De Civit. Dei, lib. XI,	pag. 3.	Ejusdem breviora fragmenta, tom. XXI,	pag. 251-254.
— lib. XII,	60.	— Ibid.	254-256.
— lib. XIII,	110.	— Ibid.	256-259.
— lib. XIV,	157.	— Ibid.	259-267.
— lib. XV,	216.	— Ibid.	267-268.
— lib. XVI,	283.	— Ibid.	268-269.
— lib. XVII,	365.	— Ibid.	269-270.
— lib. XVIII,	429.	— Ibid.	270-276.